



Taubmann. ~~quoniam~~

approbatum semel. resp. ari. has ratet 148. 53  
quod scilicet placuit amplius disciplinare non debet p. 29. num. 4.

L. L. 9-  
M.M. 6 10



1175.

EXERCITATIO FEUDALIS  
*De*  
**O R I G I N E,**  
AUTORITATE, DEFINI-  
TIONE, ET DIVISIO-  
NIBUS FEUDI,

*Quam*  
Ex consensu Nobilissimæ Facultatis Juridicæ  
VVittebergensis

*P R A E S I D E*  
**J OHANNE SCHREITERO J.U.L.**

& Curiæ Elector. Advocato Ordin.

PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBMITTIT

Ad diem II. Octob.

*In Auditorio J Ctorum*

**A DAM SAMUEL Freystein.**

---

WITTEBERGÆ  
Typis MICHAELIS Wendt,  
Anno MDCXLVIII.



EXERCITATIO FEUDALIS

EXERCITATIO

FEUDALIS

## I. D. N. I. C.

## T H E S I S I.



Ulo qui Reipubl., quibus universa politici regiminiis strues innititur, fulcra esse existimarent, præmia scilicet & pœnas, immortalem reportarunt gratiam, gloriamq;. Etenim administrationem utriusq; Temporis & Belli & pacis in ijs tuto requiescere, Principes quotquot unquam fuere, quanquam non raro inviti, uno ore fatebuntur omnes.

II. Cumq; ab initio Regna, reluctantibus sine dubio subditis, vi quadam cœperint, quo quæso, imperia invadentes alio compescere potuissent indomitam plebem remedio, nisi eos, qui se contibus ipsorum opponebant, inescarūt beneficijs, atq; eorum deinde freti benevolentia & amore, quippe ad remunerationem naturaliter obligati, de immorigeris pœnas sumere, inque officio retinere instituissent?

III. Artificio hoc imperandi mira felicitate usi sunt Imperatores omnes ij, qui inconcussum successoribus tradere regnum in votis habuerunt: Utroq; tempore, nimirum, benemeritos præmijs, improbos pœnis, affecere. Factum inde est, ut illud, nunquam consilijs domi, strenuisq; foras destitutum militibus, masculo conatu hostiles irruptiones extinguere, partamq; libertatem defendere potuerit.

IV. Hæc cum ita se habeant, De Beneficijs, quibus Imperatores de Patria belli tempore egregie meritos, afficere consueverunt, quæ hodie vocantur Feuda, apud animum nostrum agere constituimus.

V. Ne autem in limine impingamus, aut illotis manibus rem tantam aggrediamur arg. l. i. D. de O. f. age, in antiquitates temporum, quæ ignorari non debent, §. i. 7. de Testam. nonnihil scrutabimur, unde nimirum initia sua habuerint Feuda: Licet enim non adeo fructuosæ sint indagationes ejusmodi, inanes tamen profus non sunt hujusmodi fatinae jucundiores quæstiones, quos virum

117

Civiliter eruditum, neq; audiisse unquam, neq; attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est, quod de Noctibus suis Atticis dicit Agellius cap. ult. Zabel. Exercit. feud. 1. th. 3. lit. 6.

VII. Qua de re Variorum Doctorum, variæ inveniuntur opiniones, adeo, ut vix invenias, quo mens tuto adquiescere queat, imo jures autore Prætore NON. LIQUET. arg. l. 36. Pomponius, D. de Re Jud. l. Pomponius 13. §. fin. D. De Recept. qui arbitr. Sic tot opinionum involucris quæstio, quo tempore feuda originem habuerint, implicata est, ut vix Dædali artificiosa manu, constructum labyrinthum plures recessus præ hac habuisse credatur. Zab. d. l.

VIII. Ut ut sit, quemadmodum in nullius unquam verba juravimus, eademque quæ alijs de quacunq; re libere sentiendi facultas data est, nobis competit, freti libertate Academica, quæ nostræ de Origine Feudorum sint cogitationes sine ullius rectius sentientis præjudicio proferamus.

VIII. Missis ambagibus sic existimamus. Feudorum originem fere cum ipsis imperijs extitisse; ideo, quod occasio, & ratio dandi Feuda semper fuerit. Quænam ea fuit? Voluntas nimis Imperantium beneficia de Republ. optime meritis conferendi, sibi quæ animos hominum divinciendi, quippe quod propter acceptum beneficium naturaliter ad remunerandum quis obstrictus est. l. 25. §. consuluit. D. dehered. petit..

IX. Evolvamus libros, rudimenta Feudorum in prima statim Monarchia extitisse inveniemus. Genes. 14. v. 4. legimus: *Quing REGES 12. annis servijss Chodorahomor Regi Elamitarum, & anno 13 ab eo rebellasse.* Quomodo huic servierunt? Certe non ut mancipia, neq; ut subditi. Bello etenim Regibus illis devictis, REGNA nihilominus sunt reddita, voeantur hinc REGES, hac sine omn dubio sub conditione & modo, ut fidelitatem Victoribus promitterent, & tributum solverent. REGES devicti jugum hoc dum stuent excutere, rursus ad bella deventum est. Vide Niellum disput. feud. 1. th. 1.

X. Apud Xenophontem lib. 3. Inst. Cyri legimus, *Armenium cum Astyage Rege Medorum bella gessisse. Victo Armenio Astyages ipsi universum reddidit regnum hisce conditionibus, ut tributum adferret, una cum*

M79.

cum Victore militatum iret ubi ipsi denunciaretur, & ut nullas extrueret munitiones. It. lib. 4. Institut. Cyri. Gobryas auxilium Cyri in ulciscenda filij sui nece quem interfecerat Assyriorum res de poscens, Munitio- nē si hæc obtinuero, inquit, ubi voles tradam uti tua Domus sit, & Tributum, quod illi (Regi Assyriorum) ex agro meo pendebam, ad Te deferam, & ubi necesse fuerit expeditionem suscipere, signa tua sequar adductis meæ regio- nis viribus. Haec tenus Xenophon.

XI. Romani quin itidem varijs beneficijs affecerint milites, & optime de Republ. meritos quis ambigit?

Horatio Cocliti ob factum illud memorabile in Exercitu Etrūscorum seu Porsennæ Regis præstitum, tantum fuit agri publice datum, quantum una die circummarari potuit. Livius. Mutio Scævolæ Cordo ob factum istud mirandum sane prata trans Tyberim Livius. Martio Curtio centum agri jugera publica dabantur. Plin. de Vir Illustre.

In more positum erat Romanis Ducibus, Imperatoribus, & Chiliarchis, ut expulsorum hostium agros potissimum in limitibus Imperij sitos, inter milites distribuerent, ipsorumq; essent, ac heredum, propterea ut in pacato esset peritus, & exercitatus miles. Vocantur limitanei milites, fundi limitophi. r.t. C. de Fund. limitroph. Qua de re Lampridius ita scribit: *Sola, quæ de hostib. capti sunt limitaneis ducibus, ac militibus (Alexander Imp.) donavit; ita ut eorum essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens attentius militaturos, si etiam sua Jura defendarent.* Fuit hoc prudenterissimum omnino institutum, & ad peritum exercitatumq; militem comparandum utilissimum, quo etiamnum Turcæ in foendis Trimariotis militibus utuntur. Bodin in Method. Histor. cap. 6. & de Republ. lib. 5. cap. 6.

Affines huic donationi erant Militia Romanæ. Erat autem Militia officium aliquod, ex quo munificentia Regum, & Imperatorum commoda & salario milites consequabantur, quæ quandoq; ad heredes transmitti, vel alio modo alienari poterant l. fin. C. de pignor. l. omnimodo C. de inoff. Testam. Militiarum fit mentio in jure l. 3. §. si quid minor. 7. D. de minor. l. Lucius Titius 22. de leg. 2. l. fidei commissa 11. §. si servo 16. l. 102. §. pen de leg. 3. l. 52. §. 2. D. de act. Empt. Novell. 53. cap. 5. ibid Gotibofr. & Nov. 97. cap. 4.

Porto quæ in jure nostro dicuntur de Clientibus, de prædijs tributarijs, (Horum prædiorum Dominium erat publicum populi Romani, ad provinciales tantum usus & possessio pertinebat, & quidem in perpetuum, sub ea lege, ut hoc nomine tributum inferrent aut stipendium Populo Romano Rittershus. pag. 52.) de Actoribus, Custodibus, colonis, Largitionibus Imp. de huminibus, &c. ea omnia sunt quis seminaria nostri juris feudalii.

XII. Quin apud Germanos, Francos, Frisios, aliosq; Saxonie populos antiquis temporibus feuda fuerint, dubitare nos non sinit historiæ, quæ referunt populos Cis Albim, ijs in locis ubi Comitatus Barbiensis nunc est, Magdeburgam, Halberstadium, Marchia vetus, Pomerania Zeilerus in Itinerario Germanico lib. 1. cap. 1. &c. habitantes Anno post Christum natum 568. Constantinopoli Justino II. Imperatore imperante, sub Duce Alboino primo eorum Rege in Italiam irruptionem fecisse qui populi appellati sunt Longobardi, vel a longis cuspidibus, vel bipennibus, quas nos Varten/ vel Hellebarten vocamus vel a longis barbis longen Varten secundum versic. Dicitur à Longis ea Longobardia barbis. Hi Longobardi novam Reipubl. formam in Italia constituerunt, Exarchatum fustulerunt, Duces, Comites, Barones crearunt, Feudaq; tam quoad res, tam quoad nomen introduxerunt.

Reges Longobardorum, eorumq; res gestas, descriptas vide in Chronicis Carionis, Philip. Melanch. Horum quidem Imperium destruxit Carolus M. Anno circa Christum natum 780. Ast feudorum institutum toleravit, de ijs leges multas tulit, & prædia sub conditione fidei plurimas concessit.

XIII. Quid igitur dicendum de nostris Consuetudinibus Feudalibus, quæ jam in nostri juris Codice reperiuntur? Putamus Consuetudines eas, prout extant, sub Imperatoribus Carolum M. sequentibus introductas esse. Cujus rei argumentum præbet, quod Omnes Imperatores, quorum in nostris Consuetudinibus honorifica sit mentio post Carolum Magnum, I. Germanici & Occidentalis Imperij Imperatorem imperarunt, ut sunt Lotharius I. Conradus II. Heinricus Louharius III. Conradus III. Frideri-

Fridericus I. &c. Omnes itidem Pontifices, tam in jure feudali, quam  
Canonico, ut Urbanus II. qui sedet Anno Christi 1088. Eugenius II. Anno 1146. Innocentius III. 1198. Alexander III. Anno  
1159. Honorius III. Anno 1216. Alexander IV. Anno 1255.

Sic Philibertus, sive Fulbertus Episcopus Carnotensis, qui in epistola quādam formā fidelitatis complexus est. 2. F. 6. c. 18. de forma caus. 22. quæst. V. decimo a Salvatore natio seculo extitit. Accedit, quod Compilatores Consuetudinum Feudalium, ut Obertus de Orto, Gerardus Niger, & alij longe post Carolum M. Imperante Friderico Barbarossa floruerunt. Teste Ottone Frising. de Reb. gest. Frider. cap. 12.

Huc facit, quod scribit Obertus de orto, 2. F. 1. Causarum, quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliae dirimuntur, iure Romano, aliae verò legibus Longobardorum, aliae autem secundum regni Consuetudinem. Ecce, beneole Lector, trium jurium in hisce verbis fit mentio, quæ omnino sunt diversissima. De Jure Romano, & Legibus Longobardorum nihil scribit, sed ipsi est propositum usum Feudi Regni Italici annotare: ita enim pergit: quæ quanquam sint variæ & quanquam secundum diversorum locorum aut Curiarum mores sint diversæ, nec breviter possint dici, nec hoc libello facile comprehendi, usum tamen Feudi, qui in nostris partibus obtinet, prout possibile est, exponere necessarium duxi. Non ergo possumus has nostras consuetudines tribuere Longobardis, quasi ab his sint introductæ, Nā hi Legibus scriptis usi sunt, quæ adhuc hodie extant, eorumq; imperium tempore Oberti jamndum erat eversum. Ut ergo rem in pauca contrahamus, respectu formæ genericæ dicimus jus Feudale esse juris gentium, respectu formæ specificæ, à qua res denominanda, arg. l. 6. D. de J. & J. originem habuere consuetudines nostræ Feudales sub Imperatoribus, Carolum Magnum subsequentibus.

XIV. Occasio introducendi hujus Juris erat potissimum hæc. Occupato regno Italiæ & fœdere cum Pontifice facto, Carolus M. ejusq; successores abiq; præsentes esse non poterant, ideo Provincijs, (quod & olim factitarunt Impp.) Civitatibus, Castris, villis &c. præficiebant Viros præcipuæ dignationis & existimationis,

quorum

quorum fides ipsis satis erat perspecta & cognita; ut tanquam Magistratus juridicundo praesent, provinciamq; ab ingruentibus hostibus defenderent. Vocati sunt inde Duces, Marchiones, Comites, Barones &c. utq; se honeste sustentarent, certi proventus ipsis sunt assignati. Cum vero Imperium Romanum omni sua ex parte ab hostibus divexaretur, & Impp. prudenter animadverterent ruinam Imperij Occidentalis ab Impp. Orientalibus causatam fuisse, utpote quod Duces, Marchiones, Comites &c. sese Provinciarum Dominos constituerent, vel cum hostibus colluderent. Consultius visum est Impp. ut poti⁹ ac provincias plane amitterent, præter dignitatem, & administrationem, provinciam, Civitatem, castrum, villam &c. jure quasi dominij concederent, & sibi tantum fidelitatem reservarent. Concessio hæc primo à nutu dantis dependebat, ita, ut quando vellet, afferre posset. Postea, eo ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberet. Deinde statutum est, ut usq; ad vitam fidelis produceretur. Tandem ad filios, & tempore Conradi Imp. ad nepotes & Collaterales beneficium hoc est porrectum. 1. F. 1. §. & quia. Hæc omnia facta sunt per Conventionem inter Imperatorem, & Magistratus eos, atq; necesse fuit, sepe de territorijs illis inter magistratus ipsos, si forte in eodem territorio essent plures, vel etiam essent confines, exoriri controversias. Has autem controversias jure definiri necesse erat. Id ius cum in Legibus Romanorum non reperiatur, utpote Magistratum jure maxima sui ex parte mutato, inde factum est, ut controversiæ illæ deciderentur ex æquitate, & ex æquitatis illius decisione, consuetudines illæ feudales introducerentur. Ut mirum non sit vocabula, quibus in hac doctrina utimur esse barbara & exotica, siquidem linguam Longobardicam in Italia ad modum regiminis Impp. non potuerant eradicare. Vide Vultei. lib. I. de Feud. cap. I. n. 14.

XV. His in Italia consuetudinibus vigentibus, factum est, ut eas Obertus de Otto, & Gerardus Niger, qui & Capagistus dicitur. 2. F. 28. in pr. & alij 2. F. 30. 32. & 28. memoriae causa, non secus ac olim Sextus Papirius leges Regorū l. 2. D. de O. I. in privati usus gratia annotarent, puriori latinæ linguae scribendi genere post habito. Unde plurimi de horrido & aspero stilo graviter questi sunt; quibus rei

bus respondet Zabel. *disput. i. tb. 1. pag. 5.*, Quicquid sit etiam si in scripturam redactæ sunt consuetudines; propterea ad speciem juris scripti referendæ minimè sunt, *Finckel. disp. feud. i. tb. 6. Arum. disp. feud. i. tb. 20.* Dissent: Thomas Franzius Professor olim juris hinc Wittebergæ in dissertat. pro Carolo Magno, ubi Jus Feudale Legibus Caroli M. introductum esse, nec hanc juris partem ad consuetudines pertinere, multis conatur evincere rationibus; quibus in conflictu erit satisfaciendum.

XVI. Consuetudines nostræ primum in Italia frequentabantur, successu temporis unanimi multorum populorum consensu, non solum in Imperio Romano Germanico, verum etiam reliquis Europæ provincijs Sicilia, Hispania, Gallia &c. receptæ, & quasi jus commune factæ sunt, in tantum ut omnes imperio nostro subiectos, & feuda tenentes, sive sint Laici, sive Clerici, ad earundem observationem obstringant. Rosenthal *de Feudis cap. i. Concl. 9. n. 2.* Arum. *disp. feud. i. tb. 4. Gæddæus de Feud. disp. i. tb. 8.*

XVII. An Consuetudines feudales juris obtineant autoritatem, propterea quod ab ijs scriptæ sunt, quibus legis fandi nulla competit potestas, frustra videntur dubitare. Etenim consuetudinem speciem Juris esse clare patet ex §. 6. I. de I. N. G. & C. Obertus de Otto & Capagistus nihil statuerunt, sed quod in foro observabatur, annotarunt; Hæ sine interruptione semper pro veris consuetudinibus habitæ, publiceq; in Scholis, Bononiæ præsertim, alijsq; in locis non contradicentibus Impp. olim & nunc explicatae sunt. Et publice juventuti legi debere specialiter mandavit Sereniss. Elector Saxonie D. Augustus inclutæ recordationis tit. Verordnung beyder Universiteten. Rubr. Von der Juristen Facultet &c. Ibi. Er soll auch darneben alle Jahr zwehne Monat / als den Junium, vnd Julium ad materiam feudalem nehmen / vnd in denselben die Textus feudales', gleicher gestalt textualiter, von einem Titel zum andern ordentlichen expliciren, vnd solches auffs kürzte als sichs leiden will. Nil dicam, quod coram ipsis Imperatoribus, & in alijs judicijs per tantum tempus, cuius non extat memoria ad decisiones gravissimarum causarum allegatae sint. Gæddæus *disp. i. tb. 7.* Arum. *disp. feud. i. tb. 2.* Diff. Andreas de Isernia, qui communiter

B

Auriga,

Auriga; Rex. Princeps, & Evangelista Feudistarum appellatur.  
Hartm. Pistor. p. 2. q. 1. n. 82. Et ut nihil relinquant FF. quod ad autoritatem juris nostri pertinet, statuunt, quod Consuetudines Feudales ad decisionem aliarum causarum Civilium, vel Canonicarum, deficiente Civili, vel Canonico jure, allegari possunt. Arum. d. l. tb. V. Finckelthaus diss. feud. I. Controv. g. Plebst. diss. feud. I. tb. 6. Hunnius tract. feud. p. 32.

XVIII. Hoc non est omittendum: Capitula Feudalium Consuet. esse vel Ordinaria vel Extraordinaria. Illa pro authenticis haberi planum est. De his non usq; quaq; est expeditum. Incipiunt ea 2. F. 73. Ubi in fin. cap. 58 ita legimus; *Hic est finis feudorum in Editione vulgata, sequuntur fragmenta sive extmordinaria capitula quæ Doctissimus Cujacius restituit ex Ardizone & Alvarotto, usq; ad finem libri quarti.* Ac deinde liber V. ab eodem Cujacio consitus, ex varijs Imperatorum diversorum feudalibus constitutionibus.

Ad hæc distinguendo statuimus: Aut Capitula extraordina-  
ria sunt contraria ordinarijs, aut non sunt. Si illud, tunc ordinaria præferimus extraordinarijs. Si non sunt contraria tunc non omnem ijs autoritatem denegamus, præsertim si casus in ordinarijs decisus non est, aut quæ in ordinarijs sunt dubia declarant manife-  
stius, & proinde recte ad decisiones controversiarum possunt allega-  
ri, ideo quod ab Imp. tolerantur, tacite approbantur, & in foro tanquam jura observantur. Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 13. n. 56.  
quest. 25. n. 45. & quest. 34. n. 33. Andr. Kohl. tract. de servit. f. ud.  
part. 6. n. 6. Vultei. de Feud. lib. 1. c. 9. n. 41. Arum. diss. de Feud. 1. tb.  
17. Kinckel. contr. 6. Dissent. Hun. pag. 40.

XIX. His ita proœmij loco præmissis ad ipsam feudi definitio-  
nem descendamus.

Est autem Definitio duplex Nominalis, & Realis,  
~~Definitio nominalis respicit Feudi vocabulum, cuius conside-~~  
renda Etymologia, Synonymia, Homonymia.

Etymologiam Feudi quod attinet putatus recte derivari à fide,  
Fides enim Ital. & Longobardis *Fede* vocatur, indeque *Fedum*,  
a F. 3. in fin. Unde fideles vocantur Vasalli 1. F. 10. Et hodie ex-  
formu-

formula communis vñserm lieben getrewen. Alij deducunt a Get-  
mano-Longobardico vocabulo *Faida Feida*, *Thynde*/quod significat  
guerram, hostilitatem & bellum, A quo descendit *Thynde* briesse/  
literæ diffidatoriæ, quibus capitales inimicitia denunciantur, in Cā-  
tico vulgari alle *fehde* hat nun ein Ende. *Fehdeszeiten* belli tem-  
pora *Fehder* / oder *befehder* hostis, *befehdeter* / diffidatus, cui bel-  
lum indictum. Bellorum enim occasione feuda primitus introdu-  
cta, & Vasallis concessa sunt, ut bellum, hostilitatisq; tempore Domi-  
num juvent. Alij a *fædere*, eo quod inter Dominum & Vasallum  
quasi fœdus ineatur. Alij à Germanico antiquo fudere, quod signi-  
ficiat pascere, alere, & quidem eo quod feuda in fundis & pascuis so-  
leant consistere, ut inde equos alant, & ad militares expeditiones  
obeundas parati sint. Unde *Fodrum* deducunt à germanico *Fut-  
ter* / quod significat annonam militarem §. insuper de *Constit. Corrad.*  
§. F. 1. Bodinus ingeniose, magis quam vere dedueit FEduum a li-  
teris initialibus juramenti 2. F. 7. Fidelis Ero Domino Vero  
Meo.

Germanis dicitur *Lehen* / quod deductum est à *Lehnem* / *Leihen*/  
quo significamus concessionem rei ad usum aliquem.

Synonymia. Vocatur *feudum* alias *beneficium* 1. F. 1. §. 2. § 4.  
Thomas Franzius *disput. a. feud. th. 2.* ibi quam plurima allegat  
locæ.

Homonymia. Sumitur 1. *Feudum pro re ipsa*, quæ in feu-  
dum datur §. item si 3. §. fin. 1. § 4. §. econtrario 2. F. 8. § 2. F. 22.  
vers si v. *Vasall.* 2. *Pro Contractu*, per quem Vasallojus in re con-  
stituitur per meton: causæ pro Effectu c. un. ad fin. 1. F. ult. c. un. §.  
sed etiam. 2. F. 3. c. un. vers si v. 2. F. 9. 3. *Pro ipso jure in re feudal*  
per contractum constituto 1. F. 25. c. un. §. fin. 2. F. 1. t. t. de *Natura*  
*Feudi*. 1. 7. § 8. & ita in hac significatione definitur Zabel. *disp. 1. th. 2. b.*  
4. *Pro Jure Dominico* ipsius dominij directi ponividetur §. 1. ex  
eadem lege. de *Lege Cormadi* 2. F. 34. §. ult. inf. 2. F. 9. præterea du-  
catus 2. F. 55. Vide *Gothofr. Anton. disput. feud.* 1. th. 2.  
lit. C.

XX. Sequitur definitio *Realis*. A varijs variè definitur,  
adeo ut in hac difficultate tot ferme sint sententiae, quot capita.

Curtius Jun. de Feud. p. 1. qua 6. c. 7. n. 1. Nostra sit hæc: Feudum  
est jus, quod ex benevolentia Dominus alij in re quadam immobili u-  
gendam fruenda mutua fidelitatis causa concedit. Hæc definitio est gene-  
ralis, proprio, quam improprio feudo competens. Generis loco  
posuimus Juris vocabulum, per textum 2. F. 27. in pr. vers. si aliquem  
in fin. Plebst. disp. feud. 1. th. XI. lit. a. Dn. Reusnerus disp. feud. 1. th. 54.  
Gotbofr. Anton. disp. f. 1. th. 2. c. Arum. th. 22. Quidam genus feudi  
faciunt beneficium. Finckelthaus disp. feud. 1. Contr. 2. Thomas Fran-  
zius disp. feud. 1. th. 2. quod non puto posse procedere, est enim bene-  
ficium ~~conveniendum~~, & propterea non potest esse genus. Idem est  
ac si dicam gladius est Ensis. Charta est papyrus. Neq; senten-  
tiae contrariæ opitulatur 2. F. 23. Dicit etenim Feudista ibi, quod  
vocab. beneficij dupliciter accipiat, generaliter nimirum, & spe-  
cialiter. In nostro proposito non accipi beneficij vocab. generali-  
ter, sed specialiter; non autem hinc concludendum ergo beneficium  
est Genus feudi.

Quidam feudi Genus faciunt *Contractum Rittershus. part. feud.*  
*cap. 3. n. 4. Wesemb. de feud. cap. 1. Schrader de feud. p. 2. c. 1. n. 3. &*  
*seqq.*

Verum hi incongrue faciunt *Contractum Genus feudi.* Lo-  
quimur enim de feudo non Constitendo, sed constituto. Quod  
possit incipere mediante contractu non negamus, inde non erit  
Contractus genus. Potest feudum donari; propterea genus feudi  
non erit Donatio. &c. Plures definitiones recensere supersede-  
mus, qui aveat eas scire, adeat Gæddæum *disput. feud. 1. th. 14. Hun-*  
*nium tract. feud. cap. V.*

XXI. Antequam hic abeamus, notandum est, affinitatem,  
quandam Feudum habere cum Usufructu, Emphyteusi, contractu  
censitico, contractu libellario, precario, superficie, Beneficijs Ec-  
clesiasticis, Jure Patronatus, Jure Protectionis, Majoratus &c. in  
pluribus autem, ab his omnibus discrepare. Quia de readeundus  
Dn. D. Jerem: Reusnerus, Ordinarius hujus loci meritissimus. *disp.*  
*feud. 1. th. 60. & seqq. Rittershus. part. feud. lib. 1. cap. 2.*

XXII. Hactenus De Origine, & Definitione Feudi, sequun-  
tur Divisiones.

Summa

1187.

Summa Feudorum Divisio in duo genera deducitur, Feudum  
est vel proprium, vel Improprium. Hattyser. *Synopsi feud. cap. 4.*  
 Schrad. *de Feud. p. 2. cap. 3. in pr.* Feudum proprium, quod & re-  
ctum appellatur, 2. F. 33. est, quod communem feudi Naturam ha-  
bet. Improprium, vel non rectum 2. F. 48. quod à communi feudo-  
rum natura recedit 2. F. 81. Quemadmodum autem in quo libet  
 negotio, ita & in hoc loco explicanda substantialia, Naturalia, &  
 accidentalia feudi.

Feudi substantiale est fides mutua inter Dominum & Vasallum,  
 ita ut propter arctissimum fidei vinculum vocentur CONIUGES c.un.  
in pr. de Notis Feud. 2. F. 28. Licet non diffiteat Vasalli fidem erga  
 Dominum esse debere abundantiorē, quam enim humiliter,  
 quam devote, quam benigne, quam fideliter se habere debet vasal-  
 lus erga Dominum *cap. un.* *In quibus caus. feud. amitt. 2. F. 23. in*  
*med.*

Feudi naturalia interna sunt i. ut constituantur feu-  
dum in reimmobili vel equipollenti 2. F. 1. §. ult. Ue proprietas  
rei beneficiarū maneat penes Dominum, ususfructus vero  
transeat ad vasallum 2. F. 8. & 23. Arum *diff. 1. ib. 36.* 2. ut accedat  
Investitura, sine qua feudum nullo modo constitui potest 1. F. 25.  
Naturalia feudi Extrinseca sunt i. ut in perpetuum maneat apud  
Vasallum 2. F. 23. in fin. 2. Ue servititia Vasallus Domino praestet  
ibid. 3. ut gratis concedatur. Feudum enim non sub praetextu pe-  
 cuniae, sed honore, & amore Domini adquiritur *1. F. 27. in pr. 4.* ut  
 ad filios & descendentes transeat *c. un. de natur. success. 2. F. 50.* Rit-  
 tershus. *part. feud. lib. 1. cap. 3. n. 2.*

Differant naturalia intrinseca, & Extrinseca, quod illa nullis  
contrahentium pactis possint immutari, sed rei perpetuo & in sepa-  
rabiliter insunt. Hæc optime possunt mutari. Quotiescumq; i-  
 taq; pactis a naturalibus feudi extrinsecis receditur, tunc feudum  
 procreatur improprium, *t. t. de Feud. non habent prop. f. nat. 2. F. 48.*  
 quasi quod non proprio & regulari feudorum jure judicentur *1. F. 1.*  
*§. fin. ibi: non Jure feudi judicatur.* Si vero non receditur expres-  
 sis verbis, tunc naturaliter insunt ea omnia feudo, vocaturq; pro-  
 prium feendum, itemq; rectum. Quanquam rectum feendum non-

**N**unquam strictius accipiatur pro eo, quod juste possatum & adquisitum est, non rectum quod injuste 2. F. 91. c. un. in pr. per quos fiat invest. 2. F. 3. c. un. in pr. de Consuet. rect. feud. 2. F. 33. Vide Gothofr. Anton. disp. feud. 1. tb. 7. lit. 6.

Notanda est regula: Feudum eatenus tantum improprium esse, quatenus ejus naturam alteratam esse evidenter apparet, in ceteris expresse non mutatis proprium remanere, & communem naturam sartam tectam retinere, c.i. de feud. non hab. propr. feud. nat. 2. F. 48. Schrad. de feud. part. 2. cap. 4. n. 73. Rosenthal de FF. cap. 2. quest. 54. n. 1. Knichen. de pact. vest. p. 3. c. 1. n. 19. Zabel. disp. 2. tb. 3. a. Plebst. disp. 1. feud. tb. 52. Accidentalia feudi quae sint, facile ex dictis colligi possunt.

D.

Quando ergo queritur, qualenam feudum in dubio sit praesumendum, proprium, vel improprium? statim possumus responde-re proprium; quia naturalia feudi, etiam si earum rerum plane in concessione nulla sit facta mentio, feudo tamen insunt, & semper adesse intelliguntur, nisi expresse pactis ab ijs recessum esse probe-tur. arg. l. Labeo 7. D. supellect. leg. 1. 69. D. de leg. 3. Hattys. d. cap. 4. lit. a. Schnidevvin. de feud. part. 1. n. 35. & seqq.

Vidimus quid sit proprium, quid improprium feudum. Nunc ordine insigniores proprij, post improprij feudi species recen-sebimus.

**X X I I .** Feudum est vel nobile, vel ignobile. Feudum nobile vocatur quod datum est ab eo, qui habet & potestatem & voluntatem nobilitandi accipientem. Niellius. disput. feud. 1. tb. 7. lit. c. Nultei. de feud. cap. 3. n. 9. Arum. disput. feud. 2. tb. 46. Gæddæus. disp. feud. 2. tb. 4. Utrumq; autem concurrat oportet, nec alterutrum sufficit, cum fieri possit, ut is qui potestatem nobilitandi habet, nobilitare nolit, & vice versa volens nobilitare, illa potestate destituatur, Schoner. disput. feud. 1. tb. 32. Zabell. disp. feud. 3. tb. 8. Dissent. Rittershus. part. feud. lib. 1. c. 4. n. 8. qui appellat feudum nobile, quod possessorem suum nobilitat. Additq; hoc esse memorabile atq; singulare in hoc jure nostro, quod terra nobilitet possessorem. Verum sciendum est, nobilitatem & ignobilitatem non cohaerere rei, sed personæ, neq; à re, sed persona concedentis dependere, potestq; dari

dari feudum absq; nobilitate, item nobilitas absq; feudo. *Vultej. d.*  
*I.* Hinc videmus, quotidie quoā plebeji nobilium feuda, & contra  
nobiles plebeja feuda sibi comparare possint. Hippol. à collib. in.  
*Nob. n. 28.* Gothofr. Anton. *disp. feud. 1. tb. 6. lit. 6.* Matth. Coler  
*part. 1. Decis. 77.* Dn. Benedict. Carpzov. *I. prud. R.S. p. 3.* *Const. 28. def.*  
*V.* Probatur concessio nobilitatis ex literis investituræ, & in dubio  
præsumitur feudum datum esse nobile, modo concedens nobilitan-  
di potestatem habuerit, in primis si antea nobilis tenuerit, aut pos-  
sessor Vasallus longam annorum seriem numerare possit, quæ  
feudum, onusq; militiæ eis annexum in familiâ resederit. *Vul-*  
*tei. lib. 1. feud. cap. 8. n. 10. f.* Dn. Jerem. Reusner. *disp. feud. 2.*  
*tb. XI.*

Feudum ignobile est, quod absq; nobilitate ab eo cui facul-  
tas, vel voluntas nobilitandi competit est concessum. Vocatur  
alias Burgense, Plebejum, ein Bürgerlehen / ein Gemeinlehen. Re-  
ferri huc possunt feuda rustica, quæ plerumq; Sculhetis pagorum  
conceduntur ein Schulzenlehen / bauerlehen / Dorff Richterlehen /  
& magis inter improppria collocantur Rauchb. *part. 2. q. 21. n. 26.*  
Videmus enim quod fratres fratribus succedant in provincijs no-  
stris, etiam si post divisionem simultaneæ investituræ renovationem  
non petierint, propterea quod militaria servitia non præstent,  
Dn. Benedict. Carpzov. *I. prud. Rom. Sax. part. 2. Const. 45. def. 21.*  
Dn. Jerem. Reusner. *disp. feud. 2. tb. 13.* neq; pecuniam ex divisione  
feudi acceptam fratres feudalem efficere, vel ad emptionem alteri-  
us feudi collocare tenentur. Rauchbar. *d. l. n. 33.*

XXIV. Nobile feudum est vel Regale, vel non Regale;  
Regale feudum est, quod Imperator cum dignitate Regali con-  
cedit. *Feud. 14. 16. vel aliqua regale dignitate. 2. F. 10. 24.* qualis digni-  
tates est Regnum, Electoratus, Archiepiscopatus, Archiducatus, Du-  
catus, Landgraviatus, Marchionatus, Episcopatus, Burggraviatus,  
Comitatus, Baronatus. Vocantur regalia feuda, non solum quod  
Rex, hoc est imperator, qui in Jure Feudali Regis appellatione venit  
*1. F. 26. §. si vero. 2. Feud. 54. vers ut autem illud.* illa feuda concedit,  
sed & quod talia feuda regiam dignitatem adjunctam habere velit  
Plebst. *disput. f. 1. tb. 16. b.* Feuda Regalia quæ Principibus Ecclesia-  
sticis

sticis dantur vocantur, Scepterlehen / quia de istis olim per sceptra  
 investiebantur, Gæddæus *disp. feud.* 2. *th. 5. 6.* *Landr. lib. 3. artic. 62. 1b.*  
 Der Reyser soll Leihen allen Geistlichen ihr recht mit den Sceptern /  
 vnd allen weltlichen Fürsten mit den Fahnen. Quæ dantur Princi-  
 pibus seculatibus vocantur Fahnenlehen / ideo quia hi olim in pu-  
 blico confessi de illis feudis ab Imperatore cum vexillis militarib⁹  
 investiri solebant, *Zabel. disp. feud.* 2. *th. 8. lit. c.* Reichs Abschied  
 zu Worms de Anno 1522. sub tit. Römischer Wahl Reyser Ma-  
 yestet Regiment &c. *ib.* vnd behalten vns bevor die belehnung der  
 Lehren, die sie vnter den Fahnen öffentlich mit Solenniteten, pflegen  
 zu empfahlen / zu verleihen. Vide hac de re elegantem hujus so-  
 lennitatis descriptionem, apud Fridericum Hortledern part. 2. der  
 Reichshandlungen *lib. 3. cap. 55.* In Mauritio Duce Saxonie qui de  
 Electoratu investitus Anno 1548. d. 24. Febr. Augustæ Vindel. De Du-  
 ce Everardo Wirtebergensi. part. 1. *lib. 3. cap. 1. n. II.* Hanc so-  
 lennitatem in desuetudinem abiisse prodit Knichen *de Jur. Territ.*  
*cap. 1. n. 329.* & seqq. & *de Jur. Saxon.* non provoc. *cap. 4. n. 55.* & Im-  
 peratorem hæc feuda regalia hodie per ensem solere concedere, ita  
 ut Vasallus præstito Jurejurando fidelitatis capulum ensis appre-  
 hendat, & extremum ejus conum osculetur, tradit Reinking *de Reg.*  
*Secul.* & *Eccles. lib. 1. Clasf. 4. cap. 16. n. 11.* & seqq. ubi refert exempla,  
 quem videbis. Hæc feuda regalia statim ac conceduntur, possessori  
 nobilitatem, imo quod magis est, regalem dignitatem ex tacita  
 concedentis voluntate conferunt; Cujus rei illustre exemplum in  
 Imperio nobis exhibent Electores & Principes Ecclesiastici, qui, etsi  
 eorum nonnulli non adeo illustri genere sint prognati, per Regalia  
 ea feuda imperij sine speciali, & nova Imperatoris voluntate ad api-  
 cem & fastigium Nobilitatis & Dignitatis evehuntur, principibusq;  
 æquiparantur, *Gail. lib. 1. Obs. 30. n. 4. 5.* *Modest. Pistor. vol. 2.*  
*Consil. 49. n. 3.* *Gothofr. Anton. disp. 1. tb. 6. b.* *Zabel. d. 1. tb. 8. c.*  
 Nonnunquam ab Imperatore aliquis investitur de Ducatu aut Co-  
 mitatu, nec tamen appellatur Dux aut Comes, sed tantum Possessor  
 Ducatus aut Comitatus, Inhaber des Fürstenthums / oder Graff-  
 schafft. *Rosenthal. de Feud.* *cap. 2. q. 2. n. q. 2. n. 9.* *Gothofr. Anton.*  
*d. 1. tb. 6. b.*

Rega-

1191

Regalium feudorum Possessores in Jure feudal i vocantur Regni, vel Regis Capitanei 1. F. 1. in pr. quod ceu capita quædam, & Vertices inter alios emineant. Zabel. Ex. feud. 2. th. ult. lit. d.

Notandum : Feuda Regalia sua natura, esse indivisibilia §. præterea de prohib. feud. al. per Frider. 2. F. 55. ibi. præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cætero non dividatur It. Lehn-Recht cap. 20. ib. Bischoffthumb vnd Fahnen Lehn soll der König ganz vnd gar vñzertheilet leihen. Divisio enim ejusmodi minus proficia videtur Reipubl. secundum illud Homeri, Multos imperitare malum, Rex unicus esto. Videsis Reinking d. tract. cap. 17. Class 4. lib. 1. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & seqq. Rittershus. cap. 4. n. 7. De Consuetudine vero notoria hodie etiam hæc feuda divisionem recipiunt, Henning Gôden Consil. 19. non solum in Germania, sed fere ubiq; locorum, maximè in Italia, Modest. Pistor. vol. 2. Conf. 50. n. 39. Rosenthal. de feud. cap. 9. q. 56. n. 5. Gail. lib. 2. obs. 153. Sed ex re Imperij, ejusq; dignitate magis foret, addit Gaius d. l. n. 2. Si hojusmodi feuda indivisa manerent, jusq; primogenituræ locum obtinet; plerumq; enim principales familiæ, ex crebra, & toties repetita honorum divisione, si non plane intercidunt, saltem ita attenuantur, ut pro dignitate statum, & conditionem suam tueri amplius non possint, id quod quotidiana experientia docet. Vide quæ in eam rem adfert Reinking d. l. n. 16. 17. Sunt tamen quædam regalia feuda, quæ divisionem omnia non admittunt, ut sunt Electoratus Carolus IV. Imp. in Aut. Bull. hi enim ad primogenitum ejusque filios, excluso patruo transmittuntur. cap. 24. §. decernimus.

In Ducatu Bavariae, idem receptum esse tradit Reinking d. l. n. 30. In Ducatu Wurtembergensi primogenitum succedere apparet Aus Keyser Maximiliani 1. Fürstenbrieff / Grave Eberharten dem Eltern oder härtichten / vnd ersten Fürsten des Hauses Würtenberg / gegeben / Anfnn Reichstage zu Wormbs den 25. Jul. Anno 1495. ibi. demselben. Vide Frideric. Hortledern b. m. part. 1. der Reichshandlungen lib. 3. cap. 1. n. §. 8.

In Ducatu Brunsvicensi partis Wolferbytice, primogeniti solius esse successionem docet Copen Herzog Wilhelms zu Braunschweig Renunciation geschehen/den 26. Novemb. Anno Christi 1535. Id. part. 1. lib. 4. cap. 31.

C

Feu-



Feudum non Regale est feudum nobile, autoritate Principis vel alterius concessum cum dignitate regali inferiori. Rosenthal. cap. 3. n. 85.

Possident feuda non Regalia, qui non de tota aliqua provincia, sed de castro, municipio, aut civitate, pago, vico, uno vel pluribus, vel manso une (mansus 1. F. 4 §. si quis de manso, significat agrum, quem par boum quotidie arare potest cap. 1. x. de Censib. Franc. Duar. de Feud. cap. 4. n. 7.) cum Jurisdictione, & alijs privilegijs à Rege ipso, vel memoratis Regni Capitaneis sunt investiti 2. Feud. 10. Bocerus de Feud. distrib. n 30. cap. 3. qui ita ea verba, de plebe, velejus parte, explicat. Zabel. d. l. lit. d. Gothofr. Anton. d. l. th. 6. b. Hi primitus Regni vel Regis Valvasores, It. Majores Valvasores, postea Capitanei simpliciter sunt appellati, 1. Feud. 1. § 7. & 17. 2. Feud. 10. Hi rursus alijs feuda dare possunt 1. F. 1. ibi, qui & ipsi feuda dare possunt, qui accipiunt, vocantur Valvasores simpliciter, quis dicitur Dux vel march. vers. qui vero. 2. F. 10. vel minores Valvasores. 1. Feud. 1. in f. princ. 1. F. 7. qui à Valvasoribus minotibus investiuntur vocantur Valvasini 2. F. 10. vef. qui autem. vel minimi Valvasores de Natura Feudi 1. F. 7. It. cap. un. in fin. an maritus succedat. Uxor. 1. F. 15. & cap. seqq. Notandum; Nobilitandi vim praedio ipsi, sive fundo feudal regulariter non in hærere, per antiquam auctem feudi alicujus possessionem nobilitatem praescribi, & adquiri aliquam dignitatem posse. Zabel. disp. 2. th. ult. Proinde à possessione feudorum non regalium apud nos, certum nobilitatis argumentum desumi nequit. Gothofr. Anton. d. l. in fin.

XXV. Feudum est vel masculinum, vel Fæmininum. Illud est, quod à masculo primum, si Vasall. Feud. priv. 2. F. 31. inf. Hoc quod, à foemina est adquisitum. De Feud. fæm. 2. F. 30. De natur. success. 2. F. 50. Hartm. Pistor. part. 2. quest. 34. n. 13. 21.

XXVI. Porro Feudum aliud dicitur Novum, aliud Vetus vel antiquum 2. F. 3. §. bis uero 2. F. 11. 2. F. 12.

Feudum novum est, quod Vasallus primo sibi adquisivit. Mynsig. Cent. 2. Obs. 94. n. 5. Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 4. n. 2. Plebst. disput. feud. 1. th. 24. 25. 26.

Vetus vel antiquum feudum est, eius causam non quis à se i. pfo

pso, sed ab aliquo ex superioribus adquisivit. 2. F. 50. Vocatur quoque paternum ibid. 2. F. 11. §. bis vero 2. F. 12. in pr. Ein Altväterlich/ Stam/ oder Altlehen. Rejicimus hanc divisionem, qua feudum vetus subdividit. in paternum, & antiquum, vide Hunn. tract. feud. pag. 56.

Notandum; in feudo novo descendentes solum primi adquiritis, non vero collaterales succedere; in antiquo succedunt collaterales, 1. F. 20. 2. F. 11. vers. bis v. defic. 2. F. 20. Gail. lib. 2. Obs. 50. Arum. disp. 2. tb. 39. ubi vide plures differentias inter feudum novum, & vetus.

Communiter queritur à Dd. An feudum novum jure antiqui concedi possit? Affirmant pleriq; Gail. lib. 2. Obs. 50. Mynsing. Cent. 4. Observ. 84. Schrad. de feud. part. 2. cap. 3. are. 63. usq; ad n. 77. Arum. disp. feud. 2. tb. 43. Quia tenor investituræ, qui quasi anima, & Spiritus vitalis ipsius feudi est Plebst. disp. feud. 1. tb. 30. ante omnia inspiciendus, & valet pactum, ut illi succedant, qui alias successuri non erant, §. quinetiam, Episcop. vel Abbat. 1. Feud. 6. Interim re vera est & manet feudum novum, in tantum, ut consentiente Domino, in præjudicium agnatorum alienari possit. Rosentha. c. 2. q. 15. n. 2. Harm. Pistor. part. 2. quest. 4. pertot. Nisi Dominus sit persona Ecclesiastica. Gail. d. Observ. n. 1. Ratio inter Dominum Laicum, & Clericum potest esse, quod Laicus sibi & successoribus possit præjudicare, dum concedit, quod collaterales succedant, Clericus successori non potest præjudicare, Mynsing. Cent. 6. Observ. 28. E contrario autem feudum antiquum Stamlehen Vasallo ut novum concedi non potest: Ratio; quia talis concessio est concepta in præjudicium agnatorum, quibus successio pacto & providentia primi adquirentis quæsita, afferri nequit, die alte Natur/ Art/ vnd Eigenschaft eines Stammes Mahmens/ oder liniens Lehens/ mag nicht dem dritten zu nachtheil verkehret/ oder verendert werden. Gail. lib. 2. Obs. 49.

In dubio utrum præsumatur feudum antiquum vel novum magna ac difficilis est inter FF. concertatio. Distinctionis remedio questio erit dirimenda. Aut Dominus possidet feudum, aut agnatus, vel neuter. Si Dominus possidet, tunc præsumitur pro Domino posses-

possessore, §. retinende 1. de Interdict. Agnatus actoris partes in so-  
fuscipiet, manifesteque probare debet, feudum esse paternum §.

cum autem 2. Si de investit. Feud. 1. F. 4. 1. F. 12. Aut posset alii.

*Q. 6.* qui dicere, hi allegati textus contrarium inferunt. Nam videmus,  
quod Vasalloonus probandi incumbat, sive possideat, sive non pos-  
sideoat d. §. 2. 1. F. 4. ib. si fuerit in possessione. 1. F. 12. sive possideo,  
sive alienavi, & in fin.

*Sol.* Si tamen Vasallus poterit probare pa-  
ternum fuisse sive possideat sive non. Respond. Casus in il-

lis capitulis est talis: Contentio est inter Vasallum, & Dominum  
de PORTIONE feudi fratris Vasalli defuncti: Vasallus possidens  
alteram feudi partem, dicit partem feudi defuncti fratris ad ipsum  
pertainere, & esse feudum paternum. Dominus hoc negat, & est in  
possessione (quod colligitur ex verbis, licet non possideam,, Ergo

*Q.* Dominus, item in fin. vel possideat) queritur quis actoris partes sus-  
cipere, & probare debet, ad quem medietas feudi defuncti fratris  
pertineat? R. Feudista Vasallum debere probare paternum feu-  
dum esse, sive ipse suam feudi portionem possideat, sive non possi-  
deat: Hoc facto obtinebit, alioquin (subjicit Feudista in fin. 1. F. 12.)  
nisi probet paternum fuisse, vel possideat (sc: ipse Vasallus medietas  
feudi defuncti fratris) Dominus qui possidet, obtinebit. Allega-  
ti ergo Textus loquuntur ubi Dominus est in possessione, si vero  
agnatus est in possessione, & Dominus novum esse feudum conten-  
dat, ei non creditur, nisi illud probatione sua ostenderit & docue-  
rit d. c. un. in fin. de Content. inter me. 1. F. 12. & c. un. de succes. Fratr:  
vers. si vero. 2. F. xt.

Si neuter neque agnatus neque Dominus possidet, feudum pra-  
limitur antiquum, eoque easu Vasallus in feudi possessionem est im-  
mittendus c. un. in pr. 2. F. 26. Hoc namque casu ambo fatentur  
feudum esse, & Dominus non negat absolute Feudum, sed Feudi  
qualitatem, Carol. Molin. tit. 1. §. 8. n. 107. Plebst. d. l. th. 25. qui  
vero se fundat in aliqua qualitate semper eam probare debet. Pa-  
cianus de Probat. lib. 2. cap. 38. n. 7. Providus tamen, & cautus Ju-  
dex causa diligenter cognita, estimabit, an & cui juramentum deferre  
velit, 2. F. x. in fin. cap. un. 2. F. 26. in pr. c. un. 2. F. 33. in fin. Arum.  
disput. feud. 2. th. 44. Hunnius de j. v. d. cap. 6. pag. 61.

Q. An

**Q.** An Feudum quod quis ex pretio licite venditi feudi anti-  
qui comparavit sit, novum an antiquum? Antiquum putamus.  
Arum d. l. lib. 4. Plebst. disp. feud. 1. lib. 28.

**XXVII.** Feudum est vel Ecclesiasticum, vel Seculare. Illud  
est, quod in bonis ad Ecclesiam pertinentibus constituitur c. un. 2. F.  
35. nostrates vocant ein frumbstabisch/von frummen Et ab herren-  
rend/oder frumbstabisch Lehen/quia Episcopi & Praelati curvo utun-  
tur baculo; Per baculum a quibusdam interpretibus doctrinæ au-  
toritas denotatur, arg. can. disciplina, distinet. 45. Finckel. disput.  
Feud. 2. Controv. V Incurvatio vel inflexio baculi designat Clerico-  
rum potestatem coarctatam, Knich. de pact. vestit. part. I. cap. 4. n. 34.  
Obrecht. disput. Feud. 2. lib. 165.

Hoc, quod in re seculari, vel profana constituitur. c. Episcop. vel  
Abb. in pr. ib. vel Dominus plebis 1. F. 6. c. un. §. fin. 2. F. 40. Nihil enim  
referre putamus, quis constituit feudum, & quis accipiat, non enim  
ad causam efficientem, hoc est personas constituentes, sed ad mate-  
riam, rem scil. Ecclesiasticam, vel secularem respectus habetur. Hinc  
Clericus praeter id, quod Ecclesiasticum feudum dare possit, dat  
quoq; seculare, si scilicet illud constituit in bonis suis proprijs cap.  
un. 2. F. 35. Ubi Clericus de bonis suis investituram faciens, &  
decedens, successor ejus eam adimplere cogitur, quod falsum esset, si  
Ecclesiasticum feudum dedisset; nam ad ejus impletionem non te-  
netur successor: Et Laicus, dat quoq; feudum Ecclesiasticum, eo ca-  
su, quo bona sunt Ecclesiastica, & de iis disponendi atq; adeo in  
feudum dandi potestatem liberam accepit. Vult. lib. 1. c. 8. n. 19.  
Plebst. disp. feud. 1. lib. 14. Finckelius disp. feud. 2. lib. 5. Arum. d. l.  
lib. 45.

**XXVIII.** Non præterunda est, divisio Feudi, quo dispescitur  
in Ligium, & non Ligium. Feudum Ligium est, quod à summo  
Principi, quiq; superiorē non agnoscit, datur, hoc pacto, ut mul-  
lio anteposito Vasallus contra omnes ipsi fidelitatē præstare debeat;  
z. F. 99. c. un. §. Satis bene, 2. F. 52. 2. F. 93 Schneidew. part. I. n. 42.  
Rosenth. cap. 2. Concl. 3. Vultei. cap. 8. n. 20. Duaren. de Feud. cap. 4.  
¶ 2 Ligium dicitur, quia inde Vasallus Ligius omnimoda, arctissi-  
maq; fide domino se devovet, ligat, vincit, fidemq; nectit, ut alium  
præpos.

30H

præponere non velit. Rittershus. cap. 40. q. 10. Obrecht. disp. 2. tb. 195. Plebst. d. l. tb. 17. Cujus generis sunt Duces, Principes, & status Imperij, qui immediate Imperatori sunt subjecti. Andr. Knich. de pact. invest. cap. 5. n. 126. Obrecht. d. l. tb. 207.

Feudum non Ligium est, quod etiam ab alio datum est, ita ut fidelitatis Juramento Imperator, vel alius antiquior Dominus nominatim excipiatur 2. F. 55. in fin. 2. F. 28. §. ult. Qualia feuda sunt, qui ea habent ab Electoribus, Ducibus Langravijs, Marchionibus &c. Ita in hoc Feudo non Ligio Fides præstatur, ut etiam alij possit præstari. Dissent. Finckelth. disp. 2. Contr. x. Hunnius tract. feud. cap. 6. pag. 75.

Nota; Eieri regulariter non posse, ut quis duorum, aut plurimum Vasallus Ligius existat d. cap. 99. 2. F. eo enim ipso, dum uni fidelitatem jurat, cæteros intelligitur excludere. Ex accidenti autem evenire potest, ut quis duorum Ligius esse possit, nimirum successione d. cap. 99.

XXIX. Hactenus de proprij Feudi speciebus: Restat aliquid dicendum de impropijs Feudis. Diximus de natura feudi esse ut gratis concedatur; Unde quid de feudo Emptitio statuendum sit, facile colligi potest; nimirum Improprium esse Vultei lib. 1. cap. 8. n. 34. ( ubiad textum 1. Feud. 27. respondet ) sive consensu Domini a Vasallo tertius, sive a Domino proprietatis ipse Vasallus pretio interveniente adquisiverit c. un. §. fin. 1. F. c. un. 1. F. 2. c. un. 1. Feud. 7. Gothofr. Anton. disp. feud. 1. tb. 7. in f. nec desinit esse beneficium, quia non omne beneficium gratuitum est, l. 3. inf. 3. D. de Obseq. parent. Zabel. disp. 2. tb. lit. C. Arum. disp. 2. feud. tb. 5.

XXX. Feudum quod hoc pacto datum est, ut fæminæ succedant, improprium est 2. F. 30. Vultei. lib. 1. cap. 8. n. 43. Gothofr. d. l. tb. 7. lit. b. Arum. d. l. tb. 8.

XXXIX. Sic Feuda quæ non in perpetuum transeunt in Vasalium ut e. g. 1. Feudum soldaræ: Obrecht. disp. 2. tb. 351. Rosenth. cap. 2. Concl. 75. n. 7. Quod dicitur Germanico Sold Arum d. l. tb. Finckel. dict. disp. 2. Controv. 23. lit. c. Estq; duplex Cameræ, & Cavenæ 2. F. 10. Illud est quando Dominus de camera sua vel quod perinde est dealio reditu, qui in Cameram alias inferretur Zab. disp. 2. Th. 4. quorannis alicui, certam pecuniam concedit, Hattyl. c. 4. lit. m.

Hoc

Hoc quando frumentum vel aliud commestibile quid 2. F. 16. Illud connumeratur inter immobilia Göden de succession ab in test. cons. II. n. ult. Ultraque Commune habet. Ut non debeatur, nisi sit in Camera, vel Cavena unde solvi possit, deducto omni ære alieno circa Domini culpam contracto. 2. F. 58. Zabel. d. l. Arum. d. l. tb. 19. ibi. non enim equum est, quem videre egentem, quem prius habuit in conjugem, vel amicum. Hinc si propria culpa Dominus in calamitatem incidat, ita ut nihil sit in Camera, Vasallus cogi non potest ut expectet, sed Dominus aliunde præstare oportet. Schrad. de F. F. p. 2. cap. 3. n. 98. cum seqq. Non tamen si circa culpam Domini id accidat, ubi ex pectare debet Vasallus donec camera locupletetur: Potest tamen postmodo simul petere quod non solutum est. Ita putamus per textū 2. Feud. 58. ubi saItem dicitur quod expectare debeat, donec iterum dari possit. eo n. ipso, quod hoc casu expectat Vasallus, nec a deo rigorose exigit pecuniam, ut in casu præcedenti, satis videtur reverentia exhibere Domino. Adde l. legatum 17. §. viniſt. D. de annu. leg. l. ex eo 13. D. de tritic vin. & ol. leg. Rosenthal. de Feud. cap. 2. q. 76. n. 4. Schrad. d. l. n. 86. & seqq. Dissent. Arum. disp. feud. 2. tb. 23.

Dissent. aliter Finckelt. qui hæc feuda refert inter propria diff.  
2. Controv. XI.

2. Feudum Habitationis, 2. F. 75. 105. Quod morte Vasalli finitur d. cap. 105. 3. Feudum Guardiae, quod custodiæ Territorii cuiusd. causa datur Arum. th. 24. 4. Castaldiæ quod ratione administrationis alicujus Plebst. disp. 2. th. 42. lit. b. Illud videtur appellari pro vice Dominicaria 2. F. 81. Eine Landvogtey. Hoc provice Villicaria 2. F. 81. Vult. i. c. 8. Landes Rentmeisterey/Landes Hauptmanschafft. Ea feuda regulariter anno fisiuntur i. F. I. II. II. Arum. d. 5. Feudum Advocatiæ, 1. F. 2. p. ib. pro mereede alicujus rei. Finckel. disp. feud. 2. Controv. 23. Videtur dici pro Decania 2. F. 81. Alio sensu quid sit Advocatia & feudum pro Advocatia datum vide Gail. lib. 2. Observ. 54. Gothofr. Anton. Disp. feud. 1. tb. 7. lit. R.

XXXII. Diximus de natura esse ut servitia præstet Vasallus si ve sint certa sine incerta 2. F. 23. in fin. hinc si feudum datur absq; servitijs erit improprium. & vocatur Francum ein frey Lehen Ritters. hus. cap. 4. n. 26. vel si solvat certam pensionem non enim eæ, sed servitia de natura feudi sunt Arum. d. l. tb. 5.

XXXIII.

200

XXXIII. Antequam abeamus, dicendum quid restat de celebri feudi divisione, qua feudum dividitur in hereditarium, & ex pacto & providentia. Feudum hereditarium dicunt esse, quod hac conditione datur, ut in eo secundum dispositionem juris Communis successio sit für sich vnd seine Erben / oder zu rechten Erblehen Feudum ex pacto & providentia, quod in eo secundum providentiam juris feudalnis succedatur für sich vnd seine mariliche Leibes Lehns Erben des Nahmens / Helms Schildes vnd Geschlechts. Dicitur ex pacto sc: adquirentis i. Feud. i. §. 2. & 3. i. Feud. 14. §. 1. & providentia Domini, Legisq; feudalnis, 2. F. 48. Hæc divisio, quævis ex textibus Juris Feudalis non ita exacte probari possit, quin tamen voluntas contrariantium hereditarium feudum constituere possit, usuq; recepta sit ambigendum non est. Vide de hac divisione plenius disserentem Gail. lib. 2. Obs. 152. Hartm. Pistoris lib. 2. quest. 1. & seqq.

*Ad Præstantissimum & Eruditissimum*

DN. RESPONDENTEM.

**S**i labor, ingenium, si candor & impiger ardor  
Discendi, mores, deniq; si pietas;  
Ad summum possunt extollere culmen honoris  
Freisteini, clarum digna propago Patrono  
Dextra manus, mibi crede, clues Tu Principis olim,  
Isq; Tibi Cameræ pinguia feuda dabit.

L. M. Q. PRÆSES.

**M**agna viro laus est, mentem excoluisse per Artes;  
Major at ingenij candor ubiq; boni.  
Hoc quia tu prætas Musis exculte politis  
FREISTEINI, te nunc lausq; decusq; manet.  
Hinc & concendis Doctorum pulpita Juris  
Sic ausus prodas publicè ut egregios.  
Porro tuis faveat divina Potentia Musis,  
Altius ut possis scandere laudis iter.

Ita ex animo precatur

M. AUGUSTUS Fleischhaur Eccl:  
Witteberg: Archd:

00 A 6414

ULB Halle  
002 928 094

3




VL

1017







1175.

O FEUDALIS  
INE,  
TE, DEFINI-  
T DIVISIO-  
FEUDI,

mæ Facultatis Juridicæ  
agensis

IDE

REITERO J.U.L.  
Advocato Ordin.

ITIONI SUBMITTIT

II. Octob.

ectorum

UEL Freystein.

BERGÆ  
AELIS Wendl  
CXLVIII.

XVI